THESES MEDICAE
DE VARIOLIS:
PRO GRADU BACCHALAUREATUS

DEFENDENDAE,

AUSPICE DEO,

PRAESIDE

D. D. JOSEPHO HIPPOLYTO UNANUE,

ANATOMES PROFESSORE,

A FELICE DEVOTI,

NOSOCOMI SPIRITUS SANCTI

CHIRURGO,

IN DIVI MARCI

ACADEMIA

XVI. . . . KALENDAS MARTIAS.

ANNO MDCCCIII.

LIMAE, TYPIS DOMUS ORPHANORUM.

Hanc Deus, et litem melior natura diremit.

Ovid.

PROLUSIO.

Ea est Societatis vniuersæ concinnitas et harmonia, ea lex, quæ homines ab ipsis vitæ primordiis indissolubili quodam mutuo fœdere nectit, vt in publica tantum commoda respicientes, quidquid singuli mente polleant, vel manu, aris Patriae sacris veluti grati animi monumentum voueatur. Frustra equidem vitali vescitur aura, qui publico Aerario, industriam laboresque suos, vtcumque tenues, denegat foenerare. Nil adeo exiguum, nil contemnendum ita, ut inde bonae frugis aliquid decerpere non queat Societas. A minimis ad maiora fit gradus, dum multiplex haec idearum inventorumque congeries, ea hominum edit portenta, quae humanae mentis aciem per sublimiores scientiarum semitas mirum in modum attollunt. Hac dum teneor lege mihi ipsi gratulor, plaudomet. Tua enim dona, Alma Vrbs, hærent, semperque hærebunt alta mente reposta. Eo primum die, quo in Nosocomio Sancti Spiritus Chirurgicam spartam mihi demandasti, suffragio bonorum omnium me exornasti, te Patriam pro cara Ausonia commutaui, obsequio, ac pietate te ad cineres usque colam, et venerabor. Penatibus Diis Romae relic-

tis,

tis, immensis per Europam, et Americam itineribus exantlatis, quae sciendi cupido, feruidaque iuuentus aggredi jusserat, hic Portus, haec quies, hic vbi iuuat Ciuico officio me integrum deuouerier. Itaque hercules, dum Candidatus praeclarum hoc Urbis Atheneum ingredior, dum jubet Alma Accademia, dum ratio instituti postulat vt de re medica mihi non insolitum exhibeam specimen, liceat de variolis argumentum sumere.

Horrida sane lues, caedisque, orcique ministra,
Debacchata diu, et late grassata per vrbem,
Prostrauit moestis populum male suada ruinis.
. . . . nec dum satiata recedit

Argumentum sane id temporis opportunum, non de amoeno theoriarum campo collectum, non de ortu, et natura Variolarum, quod nocte caliginosa praemitur, Deusque, si mortalis de illo quaerit, fas ultra audere ridet; sed ex horrido sentibusque obsito curationis agro una experientia ductrice decerptum. Sit itaque.

TITULARIS MEDICA.

In variolis malignis cujuscumque classis, quando vires languent, et systema neruosum in primis afficitur, methodus Sidenamii, quae in attemperatione et mora extra lectum consistit, reiiscienda: Mortoni, quae in Cardiacis et alexipharmacis, adoptanda.

Morbillis adhuc elapsa Aestate furentibus Variolae primum irruerunt in urbem, sporadicas temporum constitutiones laruata facie sequentes, putrida et biliosa febri stipabantur Autumno, brumali

mali frigore aliquantulum emendatae, recrudescentes Uere, demumque Aestate furente fractis jam, et veluti succisis earum viribus ostenduntur. Oh utinam longa satiatae strage tandem se abdant Auerno! Faue, Numen Supremum, placatam porrige dexteram, acerbas eripe poenas: Urbs plectitur jam satis.

THESES.

1. Labente seculo Undecimo irruentibus ex Africa Saracenis dira Variolarum Cohors primum incubuit Hispaniae. Per Europam debacchata, Americam deuecta innumeras clades perpatrauit. Eo potissimum tempore mixta senum, ac iuuenum densantur funera, nullum saeua lues caput fugit. Omnes una manet sors, nisi forte quis praemature in utero matris labe, aut extra febre Variolosa fuerit expertus.

2. Variolarum miasma, seu aeri insideat, seu corporibus externis inhaereat, seu lateat in homine, haud extricatur, suique naturam praemostrat, quin corporis dispositio, humorisque diathesis ad virus excipiendum, vel explicandum accedat. Insitio quandoque incassum tentata veritatem ostendit.

3. Eadem insitio saepe dissimili sorte, quanquam uno, eodemque pure et ritu instituta: variationes, quae in Variolis naturalibus in eadem epidemica constitutione, immo domo observantur, unum esse natura variolosum venenum demonstrant. Quidquid interdum inter se differant, erit in ratione quantitatis Virulentiae, et viarum in quibus recipitur. Adeoque potissimum a temperamento aegrotantis, habitu, aetate, victus ratione,

tione, anni tempore, hereditariaque labe sumendum.

4. Postulatum numero, et ordine animaduerso, in discretas, et confluentes diuiduntur: iterumque habita ratione earum indolis, sanguineae, gangrenosae, et siliquosae appellantur: ab exantematibus, quae eas comitantur, morbillosae, eresipelatosae, miliares audiunt. Sed rite perpensis symptomatibus, et febris genio ad tria potissimum genera redigendae sunt Variolae; inflammatorias nempe, putridas, et neruosas, é quibus tanquam ex fonte indicationes curatiuas Medicum oportet haurire. Quanti intersit inter putridas, et neruosas descrimen stabilire neminem latet.

5. Naturae motus excedentes compescere, segniores attollere, ut aequabilis ille ebullitionis seruetur tenor in sanguine, qui ad gradatam idoneamque despumationem requiritur, unicum est artis medicae munus, acieique mentis opus. Namque si motus iste, neque ferveat nimium, neque deficiat, nullo artis auxilio perturbandus, sed placide ad metam perveniat sinendus. Hoc in Variolis benignis.

6. Exantemata semper prae oculis debent esse solerti medico, quippe evanescentibus illis actum est de aegro. Stragulis obruere, alexipharmacis, et cardiacis indiscriminatim exagitare, piaculum. quam magno Artis Medicae oprobrio hic seculis praeterlapsis invaluit mos! Clarissimus Sydenamius veterem expergiscens Arabum doctrinam, quam iamdiu ilustres ex nostra Hispania viri Gomes, et Heredia primum reuocauerant, calido regimine obrutam naturam uindicauit; attemperatione et mora extra lectum Variolarum medelam instituit. An audacter utramque? viderint Clinici.

7.

7. In diathesi sanguinis inflamatorii venae sectione, et antiphlogistico regimine hostis in ouo suffocatur. Antiseptica, princeps inter haec Peruuiana. cortex, et é regno minerali acida parata in putrida sanguinis dissolutione palmam praeripiunt coeteris. At languente vitali motu, neruoso systemate affecto, cardiacis, et alexipharmacis in praeceps ruenti naturae succurrendum.

8. Quolibet morbi stadio, sanguinis missio dummodo inflammationis signa, et symptomatum vehementia expetant instituenda: Opium manu oeconomica propinetur pro re nata. Sydenamius quasi specificum praedicat; at longe distat. Immodica ventris turbatio vitari debet omnino: non enim a saburra gastrica oriuntur nauseae, sed a neruosa ataxia, et commotione febrili. Vesicantia etiam suum obtinent locum.

9. Ad trutinam igitur revocanda Symptomata Variolas comitantia: ex iis elicienda methodus. Unica enim attemperatio, et mora extra lectum, quamquam in Variolis inflammatorii generis morbum tuto confodiet, putrida dissolutione vigente minus proficiet, certam inferret necem dum vires languent, et Systema neruosum afficitur.

TITULARIS PHISICA.

Plantae dum dormiunt, nocte prona facie aerem mephiticum spirant, quando vigilant, lucis adtactu vitalem aerem spargunt. Utraque exalatione, quam mira perficit Natura! Inter alia, atmosphericum equilibrium, respirationis commoda.